

plurima præter ordinem & institutum conditionis humanæ. *Hic* habilis est ad Philosophiam, *ille* ad Poëticam: *hic* tractat arma feliciter, *alius*, & qui vel fovere ac commendare deberet, literas spernit: *hic* sobrius, *ille* ebrius: *hic* audax, *ille* meticulosus. *Alexander* tam citò vicit Orientem, quàm vidit. *Julius Cæsar*, celeritatis *τέρας*, *Tullio teste*, subitò Romanum imperium subegit: *Pompejum* justam causam defendentem, fortuna deseruit, ejus consilia non comprobans. *Cato sapiens* seipsum interfecit. Hæc quis Astrorum cursibus non quodammodo adscribat? *Seneca*, qui mortem apertâ venâ accersivit, inquit: *Quicquid patimur, quicquid facimus mortales, venit ex alto. Regitur fati mortale genus. Juvenal. sat. 7. v. 195.*

— — distat enim, quæ
Sidera te excipiant modò primos incipientem

Edere vagitus, & adhuc à matre rubentem.

Ventidius quid enim? quid Tullius? anne
aliud quàm

Sidus,